

Nun M. Heribald Biester st. 10 Februar 1806.

19

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

RELIGIOSARVM
S. ORDINIS CISTERCIENSIS
SANITATE TVENDA.

QVAM

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI

POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILII SANCTIORIBVS

MED. ET PHIL. NATVRL. PROF. PVBL. ORDINAR. FACVLATAT. MED. SENIORE ET H. T.
DECANO SPECTATISSIMO, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO, IMPERIAL. ACAD.
NATVR. CVRIO. PRAESIDE ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

AD DIEM XXII. DECEMBR. A. O. R. C¹⁵ I³ CCLXII.

H. L. Q. S.

IN REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE PROPVGNAbit

AVCTOR

G E O R G I V S F R O S T

TREBNICIO - SILESIVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

STANNO SCHNEIDERIANO.

DISSERTATIO MAGISTRI MEDIC

RESTITUTIONARVM
ORDINIS CISTERCIENSIS
SANTATE TAVENDA

PARVIDE

VIRGILIVS ET LUCANVS ET Q. D. ET CÆSARIS

D ANDREA FILIA BACHNERO

SACRA ROMA IMPERII MORTI

HONESTISSIMO HERZOGIÆ REGIA CONSULIS MARCHIORIBVS
MVS TIBI MILITIA PRO DOMINA VICTORIA VENIRE DEBTUR
DEO XACO DECET AMBIVM MVRIBVM VITIO VITIO VITIO VITIO
VITIO VITIO VITIO VITIO VITIO VITIO VITIO VITIO VITIO VITIO

PRO GRADA DOCTORIS

PRO GRADA DOCTORIS A. G. C. C. C. C.

IN REGLA TRIBUNICIANA

TRIBUNICIANA

GRADUS TROCHI

GRADUS TROCHI

HELIUS MAGDEBURGENSIS

HELIUS MAGDEBURGENSIS

REVERENDISSIMAE
ATQVE
ILLVSTRISSIMAE DOMINAE
DOMINAE
BERNARDAE PACZINSKY
DE TENCZIN
REGENTI ABBATISSAE ET DOMINAE
ILLVSTRISMI MONASTERII TREBNICIENSIS
S. ORDINIS CISTERCIENSIS,
DOMINAE OPPIGNERATARVM REGIAE
ARCIS SVEBVIENSIS ET TERRARVM
CVBSCHALIENSIVM

DOMINAE SVAE GRATIOSISSIMAE

REGERINGSSAMMELUNG
ALTB.
HISTORISCHE DOMINAE
DOMINAE
BERNARDAE TACITI
TENET
REGNI-ABYSSINIAE ET DOMINAE
S. ODEONIS CISTERCIENSIS
OMNIMODI REGIA
CARTULARIA
DOMINAE S. V. CISTERCIENSIS



REVERENDISSIMA
ATQVE
ILLVSTRISSIMA DOMINA
DOMINA GRATIOSISSIMA.

Tantum abest , ut audaciae
promtae homo esse videar , has
A 2 char-

REVERENDISSIMA

ALOTA

ILLVSTRISSIMA DOMINA

DOMINA GRVITOSISSIMA

chartas academicas ILLVSTRIS-
SIMO NOMINI TVO inscriptu-
rus; vt potius, nisi id a me fieret, in-
grati animi crimine reus habendus es-
sem. Quotuplices enim, quantasque
singularis TVAE gratiae et clemen-
tiae testificationes in familiam meam
exstare voluisti, DOMINA BENI-
GNISSIMA! Si itaque aequum esse

vi-

videatur, vt ob bonum, ab aliis in familiam aliquam delatum, obligatio ad singulos, qui ad eam pertinent, proficiatur: non dubito, ILLVSTRISSIMA DOMINA, certo futurum esse, vt clementissime feras hosce conatus meos, TIBI nunc publice dandi documenti reuerentiae et grati animi. Gratiouse igitur excipies praesentem Differ-

THEI

A 3

tatio-

tationem academicam, quam MAGNO
NOMINI TVO ideo consecrari ius-
sit mea in TE pietas, vt beneficiorum
TVORVM in meos collatorum pu-
blice prostare videatur memoria sem-
piterna. Quod reliquum est, DEVVM
T. O. M. deuotissima mente precor, vt
TE, omni felicitatis genere cumulatissi-
mam, adhuc per longam annorum se-
riem

riem conseruet, ut iam per tot secula
splendidissimus S. Ordo Cisterciensis,
cui TV quoque summa cum laude
Trebnicij praees, prudentia TVA ac
pietate noua adipiscatur ornamenta, et
pauperes atque afflicti munificentia
TVA et benignitate diu perfaci pos-
sint! Inter ardentissima haec vota me
iam clementiae TVAE submississime
com-

commendo, ad cineres vsque perseueraturus,

REVERENDISSIMA
ATQVE
ILLVSTRISSIMA DOMINA
DOMINA GRATIOSISSIMA

MAGNI NOMINIS TVI
DAB. HALAE MAGDEBURGICAE
FESTO IMMACVL. CONCEPT. B. V.

DEVOTISSIMVS ATQVE OSSEQVIOSISSIMVS
SERVVS
GEORGIVS FROST
TREBENICIENSIS.

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA

DE

RELIGIOSARVM
S. ORDINIS CISTERCIENSIS
SANITATE TVENDA.

PROOEMIVM.

Quum medicinae practicae finis sit, praesentem sanitatem conseruare, perditam vero iterum restituere: omnino necesse erit, ut ad hoc negotium recte perficiendum et sanitatis et cauffarum, a quibus ista laeditur, tandemque variorum remediorum sufficiens cognitio requiratur. Quo igitur specialiore harum rerum cognitione quis

B

pollet,

pollet, illam ad casus in vita humana obuios applicaturus: eo etiam feliciorē cum successu officium medentis explebit. Quare non ita viles atque exigui habendi esse mibi videntur conatus illorum Medicorum, qui operae pretium fore sibi duxerunt, quasi ex instituto differere de certarum Societatum morbis, horum caussis, nec non modo, quo laesa sanitas reparari, aut, si adhuc integra fuerit, diu conseruari possit. Quorum praeclarum exemplum imitari mibi nunc quoque placuit; selecto eiusdem indolis argumento, dignissimoque specimine inaugurali. Studebo autem ea prius expedire, quae ad argumenti pertractandi theoriam magis pertinere videntur, eidem deinceps subiuncturus partem practicam. *Faxit Deus T.O. M. feliciter!*

PARS

¶

PARS ARGUMENTI THEORETICA.

§. I.

Ex pathologicis in genere constat, certum quoddam vitae genus rationem in se continere, cur sanitas infirmior reddatur, morbi certae speciei nascantur, qui non tam facile oriri potuissent sub alia vitae generis conditione. Qui enim vitam magis sedentariam habent: illi spissitudinem aliasque humorum depravationes sibi communiter contrahunt. Sed quot quantique morbi inde iam proueniunt! Qui corpus nimiis vigiliis exercent, illi haud mediocrem caussam debilitatis admittunt, multiplicium grauiumque malorum originem. Simili etiam ratione comparatum erit cum cibis, potulentis, aëre, rebusque aliis sic diuisis non-naturalibus, quibus adsuescere solent ho-

mines, hancque adfuetudinem vel ob Societatis,
cui nōmen dederunt, vel ob alias rationes con-
stanter seruant, atque ita in certo quodam vitae
genere versantur. Qui itaque animum induxit
suum, de sanitate hominis cuiusdam tuenda dif-
ferere, qui Ordinem quemdam profitetur, atque
ideo peculiare quoque vitae genus obseruare te-
netur: is omnino, dum regulas, ad sanitatis con-
seruationem necessarias, euoluere intendit, de isto
vitae genere exactam habere debet cognitionem;
alias enim regulae istae parum respondebunt il-
lius sanitati conseruandae, cuius caussa tradun-
tur, morbisque praecauendis, de quibus nondum
constitit, an tali vitae generi originem suam de-
beant? Ex quibus iam conficitur: necesse esse,
ut disputaturus de Religiosarum S. Ordinis Ci-
sterciensis sanitate tuenda, rationem habeat illa-
rum vitae generis.

Qua:

Qua de causa mentio hic facienda erit illarum regularum,
quas S. Ordo iste sibi obseruandas curae cordique habet,
et quae ad vitae genus illum profitentium omnino pertine-
bant. Sequare potissimum hac in re enarranda **HELYOTVM**,
in Historia Ordinum sacr. et secular. utriusque sexus Tom.
V. Cap. XXXIII. et II. Edit. german. interspersis tamen
quibusdam aliis huius rei momentis, aliunde mihi cognitis.
Erunt vero regulae istae vniuersales, totum Ordinem Cister-
censem, vbiunque terrarum ille degat, respicientes, atque
a constitutionibus peculiaribus probe distinguendae, quibus
adhuc gaudet huius illustris monasterii congregatio.

§. II.

S. Ordo Cisterciensis vix alii cedit auctoritate & splendore; siue illius antiquitatem, siue
amplitudinem species, siue id etiam in eo consi-
deres, quod multitudine personarum, meritis et
nobilitate generis admodum illustrium, eundem
profitentium, omni fere tempore eminuerit, at-
que adhuc eminere videatur. Ad regulas vero
ab Ordine isto receptas quod attinet, illae con-
ueniunt cum regulis, quae S. BENEDICTIVM au-

storem agnoscunt. Quibus adeoque conuenienter, Religiosas S. Ordinis Cisterciensis oportebit, horarum canonicarum recitandarum caussa, de die et nocte ad chorum aliquoties accedere, atque in officio diuino multas horas nocturnas diurnasque consumere, praeterque ieunia quadragesimalia, multa alia quoque seruare. Reliquae tandem harum Religiosarum occupationes ita sunt comparatae, ut vitam magis quietam efficiant, parumque inde commodi ad sanitatem suppeditent, quod vitae generi continuo mobili tribuere solent Medici.

§. III.

Religiosarum Cisterciensium vitae genus non deſtituitur ratione, cur inde oriri poſſint morbi laefae transpirationis; & qui ab humorum partim ſpiffitudine, partim corruptione de-
pen-

pendent. Sub somno auctiorem fieri transpiracionem, in physiologicis euictum datur, quam ideoque impediri mihi facile concedes, somno interrupto; maxime si statim accedant aurae frigidioris admissiones. Sed obseruatio huius Ordinis regularum postulat, ut non solum de die, sed etiam de nocte ad chorum accedant (§ anteced.). Hinc necesse erit, ut somnus interrumpatur, et corpus aurae frigidiori, qualis in templis esse solet, exponatur, atque ita liberior transpiracionis successus impediatur. Quia etiam ea rumdem Religiosarum vitae genus magis sedentarium & quietum est (§. anteced.); hinc de humorum spissitudine hic possibili multo minus dubitari poterit, quum, hanc mutationem a motus defectu humoribus eo facilius induci, ex pathologicis constet, quo magis simul concurrent variae aliae corporis debilis caussae, de quibus infra differendum

dum erit. De humorum tandem depravationibus, quae hic fieri possunt, ita constabit. Natura variis excretionibus, quae in corpore humano oboriri deprehenduntur, in hunc finem vti-
tur, vt illud a corruptione defendatur; id fuisus docente Physiologia. Impeditis adeoque huius-
modi excretionibus naturalibus, fieri aliter non poterit, quin massae humorum mixtio deterior
reddatur, sanitati admodum nocitura. Sed in casu nostro non desunt caussae, hasce excretio-
nes laedentes. Spissis enim in corpore humoribus non vna certe difficultas nascitur in nego-
tio excretionum naturalium. Ut de eo nil dicatur, quod, sicuti Pathologorum fert sententia,
frequens transpirationis suppressio, quam in casu praesente contingere supra docuimus, sola suffi-
cere poscit ad varias humoribus corruptiones in-
ferendas. Quibus adhuc accedit ciborum quo-
rum-

rumdam esurialium, quorum usus tempore ieui-
niorum obtinet, illa conditio, ut facile in ven-
triculo putrescant, exemplo piscium. Vnde chy-
lus maioris pronitatis ad putrescendum genera-
tur, variaeque aliae laesiones ventriculo inducun-
tur, ita, ut ideo massae humorum haud medio-
cris obuenire possit corruptio. Ex adductis puto
iam fore, ut satis constet de veritate singulorum
membrorum propositionis.

§. IV.

Quotquot igitur morbi ex prolatis ad §.
anteced. momentis in specie deduci poterunt:
*illi etiam facile possibles erunt per vitae genus
Religiosarum Cisterciensium.*

§. V.

*Saepius impeditae transpirationi morbi ca-
tarrhales originem suam debent. Ad hosce enim*

C

mor-

morbos in genere referri solent varii notabiles effectus in corpore, qui a quocumque fluidi lymphatico-serosi vitio producuntur. Sed hoc iam sit, transpiratione suppressa. Ob hanc enim rationem totam massam humorum corruptionem subire posse, edocetur in demonstratione §. anteced. Quidni idem etiam fluido lymphatico-seroso accidat? Quotiescumque vero experientia, fida illa veritatis magistra, docuit, quantae tunc in aliis locis corporis seri coaceruationes fiant, obortis circa salutarem transpirationem impedimentis? Afficiuntur hic imprimis ea loca corporis, vbi natura determinatam quantitatem liquidi serosi secernit: quorsum pertinent bronchia, fauces, sinus frontales, cavitas narium, & alia. Haec omnia vero tanti sunt, ut varia inde corpori incommoda, eaque saepius pernicioſissima, inducantur (per princip. Patholog.). Vnde iam cognoscere

scere licebit morborum catarrhalium ortum, ex transpirationis suppressionibus proficiscentem.

§. VI.

Ex §. anteced. colligi poterit, *quod hic obtinere possint incommoda corporis sequentia:* Tussis, raucitas, branchus, deglutitionis molestiae, capitidis temulentia et dolor, fluxus non solum narium, sed et ex iisdem seri difficultis excretio, spasmi varii, a quibus, pro ratione rerum aliarum circumstantium, aliae atque aliae partes vexantur.

§. VII.

Quando humores in corpore humano iusto maiorem spissitudinem concipiunt: tum illorum motus progressius retardatur, efficiturque, ut tandem in vasis producantur stases, immo etiam obstrunctiones. Quo magis enim humores spif-

C 2

fescunt,

fescunt, eo magis etiam actioni vasorum resistere debent; ita vt, crescente hac vi inertiae, vasa in humores de tempore in tempus debilius agant. Hinc fluida per vasa tardius moueantur necesse erit. Ea porro in corpore humano est humorum conditio, vt eo spissiores fiant, quo magis illorum motus progressiuus languescit. Quare tandem eo res perueniet, vt fluidum, per vas vendendum, ibidem quiescat; quod Pathologi *stafin* vocare solent. Rebus ita comparatis, id etiam effici poterit, vt humor in vasis quiescens magis magisque solidescat, illorumque cauitates intercipiat; quo facto, vasa ibi obstructa erunt. Quam ob rem de veritate propositionis dubitari non poterit.

§. VIII.

Docet demonstratio §. anteced. humorum spissitudinem considerari posse instar alicuius caussae

causae vniuersalis, a qua illius motus per vasa retardatur. Quod si igitur cum veritate consentiat (consentit vero vel maxime, praecipiente Physiologia), vt in vasis a corde remotis, aliisque debilioribus, motus progressiuus minoris celeritatis esse debeat, quam vbi vasa cordi propinquiora fuerint, magisque texta ex tunicis robustioribus; tunc exinde iam recte colligere licet, fieri omnino posse, vt, his impedimentis ratione sanguinis, per vasa viscerum abdominalium rehendi, ibidem praesertim autem, varia in abdome incommoda chronicae formae & durationis producantur, quorum complexus in corporibus sexus sequioris passionem hystericae constituere solet.

§. IX.

Ex dictis §. praeced. porro conficitur, tunc quoque modo laedi simul debere viscerum abdominalium

naliū functiones. Huius nominis erunt hypochondricum variae molestiae, pressiones sub scrobiculo cordis, laesus appetitus, laesa ciborum digestio, frequentes intestinorum a flatibus distensiones, inde aequē, ac a spasmis oriunda colica, alii obstructio, viscerum abdominalium tumores, spasmus, debilitas corporis, & centum alia mala, inde ad reliquas corporis partes excurrentia.

§. X.

Stasis atque obstructionibus in cauis vasorum, partes integrantes adeuntium, obortis, necessum erit, ut fluida per arterias ibi aduecta, cum per vasa, vtpote obstructa, transire nequeant, ibidem accumulentur, & plexus vasorum distendant. Quibus efficitur, ut partes ipsae, quae eiusmodi vasa ingrediuntur, in maius volumen increscere, siue tumeſieri videantur. Quum itaque

que ab humorum spissitudine stases & obstructio-
nes proficiscantur (§. anteced.): hinc facile omni-
no varia tumorum genera iis corporibus accide-
re poterunt, quae spissos alunt humores.

§. XI.

Multis exemplis & rationibus in Patholo-
gia confirmatur, quam frequenter a stasis & ob-
structionibus originem suam trahere possint spas-
mi. Non erit ergo de isto quoque morborum ge-
nere ibi dubitandum, ubi nimirum humorum spis-
situdo in corpore inualuit (§. VII.).

Fluida congeri, siue illorum congestiones
ad certas partes fieri dicuntur, quando nimirum
ibidem coaceruantur, illorumque quantitas ibi-
dem supra modum increscit. Fieri id necessario
debet, vasis obstructis, debilitatis, in locis aliis

com-

compressis, spasmis modo in hac, modo in illa parte saeuentibus; sicuti id in pathologicis explicatiis traditur. Iam vero attendenti tibi ad ea, quae proposita sunt in §§ antecedentibus, a VII nimirum usque ad XI, haud obscurae esse poterunt causae istae congestionum, quae in corpus spissis humoribus infarctum cadunt. *Variae igitur congestiones hic possibles erunt.*

§. XIII.

Quam vero foecunda mater morborum existit congestio! Tumor, dolor, obstructionum antiquarum augmentum, & nouarum ortus, varorum vicinorum compressiones, spasmus, nouae congestionis ad alia loca extensiones: ita, ut facta in una parte congestionem plures aliae partes vario morborum generi subiiciantur. Patebit inde, quam frequens congestionis cum variis suis effectibus

effectibus fieri possit accessio ad humorum spissitudinem.

§. XIV.

Inter alias conditiones, quae tam ad secretionis, quam excretionis negotium requiruntur, istae quoque necessariae erunt, ne vasa sint impermeabilia, ne viscerum functiones adsint laesae; quod in Physiologia amplius commonistratum datur. *Quantum igitur humorum spissitudo conferret ad perturbandas se- & excretiones naturales?* siquidem ex superioribus constat, quod hic non deficiant caussae, a quibus & vasorum permeabilitas, & viscerum functiones multiplici modo laedi possunt.

§. XV.

Quaedam fluidorum secretorum, perficiendae nutritionis caussa, intra corpus retinentur,

D

exemplo

exemplo chyli & lymphae. Si igitur circa hoc secretionis negotium impedimenta quaedam obuersantur: tunc etiam parum bene nutritio corporis succedit; qua tamen in reficiendis viribus, corporisque conseruatione, natura carere nequit. *Impedita adeoque nutritione corporis, hoc debile fiat, magis magisque destruatur, oportebit.* En effectus spissitudinis humorum grauissimos!

§. XVI.

Sed cum aliis humoribus secretis aliter comparatum est. Hi enim post sui secretionem ad organa excretoria deferuntur, atque ad instar impuritatum, corpori nocuarum, ex eodem foras eiiciuntur. Hinc si contigerit, vt huiusmodi excretiones naturales impedianter: non nisi etiam necesse erit, vt, praeter alia incommoda, homini inde accendentia, (pro varietate nimirum et gradu

gradu excretionis suppressae,) massa humorum corrumptatur. *Quantum igitur fauebit deprauandae humorum mixtioni illorum praevia spissitudo* (§. XIV.)?

§. XVII.

Lege naturae fere vniuersali sancitum est, vt in corporibus sexus sequioris fluxus menstruus obtingat. Euenire id solet, vt satis notum est, intra determinatum aetatis tempus; quo tamen superato plerumque fit, vt adhuc per multos vi-
tae annos molimina ad istam sanguinis excretio-
nem continent, quamuis irrita sint. Quum ve-
ro modo dicta excretio, si rite succedat, admo-
dum proficua sit, vt vim remedii a natura acce-
pisse videatur, ad sexus sequioris sanitatem con-
seruandam, eumdemque a multis grauioribus
morbis praecauendum; hinc *humorum spissitudo*

D 2

buic

*buic quoque salutari excretioni non exiguo esse
poterit impedimento (§. XIV.).*

Praeter hanc impedita excretionis menstruae cauissam, alia adhuc adesse poterit in casu praesente. Pertinent huc spafini, et aliae corporis afflictiones, a quibus haec excretio intercipientur.

§. XVIII.

Consequens porro ex §. anteced. erit: *Excretione ista non legitime succedente, et naturae conaminibus ad illam incassum vergentibus, sexus sequioris sanitatem inde labefactari, miramque morborum varietatem in eodem produci.* Oriri tunc solent morbi viscerum, spasmorum atrocitas, mali hysterici frequens inde initium et augmentum, compluresque aliae corporis calamitates,

§. XIX.

Probatum in genere dedimus in §. XIV, quod ad excretiones naturales perturbandas faciat

ciat humorum spissitudo. Huc igitur nunc pertinent quoque harum excretionum exacerbationes. Quae quando contingent, ut frequentes alii fluxiones, haemorrhagiae largiores, et id genus aliae: *corpus inde haud parum debilitetur, necesse erit.*

§. XX.

Tandem etiam ex principiis pathologicis satis est liquidum, id passim confirmante experientia, quod stasis & obstructionibus superueniant motus febriles; quod iidem in omnibus illis casibus, de quibus in §§. praecedentibus actum erat, deprehendantur. Ergo *ne motus quidem febriles deficient, humorum massa insipifata.*

Saepius sunt salutares isti motus febriles, quamvis aegrotantibus incommodi; saepius vero pernicioſſimi. Infra aptior patebit locus amplius differendi de horum motuum

D 3

febri-

febrilium indole. Mox id a nobis praestabitur, quamprimum antea cacochymiae momentum expeditum fuerit; vtpote cuius dilucidatio ad rem quoque nostram pertinet (§. III.).

§. XXI.

Vbi massae humorum corruptiones adhaerent, ibi acre & putridum eidem inerit; id ex instituto explicante Pathologia. Si igitur ab acri & putrido vnum vel alter morbus in corpore humano dependet, (dependent vero eius variae species): *ad casum quoque nostrum plures morbi redibunt, ex hoc fonte deriuandi.*

§. XXII.

Ad morbos itaque cacochymiae spectare poterunt, status corporis cachecticus, tumor, dolor, spasmus, morbi viscerum tam acuti, quam chronici, ulcerum & exanthematum variae species, virium iactura, motus febiles differentis gradus & efficaciae.

§. XXIII.

§. XXIII.

Si qui motus febriles, quos in casibus supra explicatis oboriri posse afferuimus, ad certas quasdam species febris accedunt: illae vix aliae esse poterunt, quam species febris catarrhalis, inflammatoriae, malignae, intermittentis, tandemque lentae & hecticae. Quum conditio propositionis enuntiatae in genere possibilis sit; id frequentissime testantibus obseruationibus pathologicis, quod motus febriles excipere soleat una atque altera febris regularis species. Nostra igitur nunc magis referet, argumentis probare, cur potius indicatae in propositione febrium species prae aliis metuendae sint. Quod ita omnium commodissime expediri poterit, si a nobis ostendetur, quod hic non deficiant caussae, a quibus istae febrium species proficiunt solent. In pathologicis nimis praecepitur, quod febris

catar-

catarrhalis pro sui causa agnoscat catarrhum; inflammatoria inflammationem; maligna corruptam humorum constitutionem; intermittens laesam digestionem, viscerumque abdominalium malam affectionem; lenta tandem & heclica viscerum obstrukiones, aliasque eorumdem laesiones. Sed hasce febrium caussas hic omnino locum habere posse, te non latebit; iis accurate perpensis, quae in §§. superioribus disputata sunt. Qua de ratione nullum dubium erit, quin supra commemoratae febrium species hic demum in apricum prouenire possint.

§. XXIV.

Quo plures caussae efficienes sufficientes ad unum vel alterum morbum, in casu quodam peculiari producendum, concurrunt: morbus ita productus eo maior illo erit, qui sui ortum vni modo

modo caussae debet. Plurimum enim caussarum morbi concursum tibi concipere debes instar vis alicuius maioris, quae ideoque effectum sibi respondentem, hinc etiam morbum maiorem illa caussa, necessario producere debebit, cui virtus minor inest. Alias concedendum foret, quod nulla proportio obtineat inter caussam & effectum; quod tamen rationi repugnat. Ergo contra propositionis veritatem nullum dubium morueri poterit.

§. XXV.

Singulis probe inter se collatis, quae hucusque prolata sunt de ortu morborum possibili in corporibus Religiosarum Cisterciensium, haud difficulter intelliges, quod ad hosce morbos procreandos plures simul caussae efficientes sufficienes conuenire queant. Vnde non poterit non,

vi Si antec. coniici: *de necessitate nimirum fore,*
vt in vna harum aegrarum morbus certae Spe-
ciei oriatur maior, quam in alia.

etiam in motio invenientur pectus et cibis
et in aliis morbis. §. XXVI.

Propositionem §. antecedentis finibus no-
stris conuenienter enuntiauimus, deductam ex
principio, quod tanti habendum est in Patholo-
gia, vt sine illo nec temporum differentiae in
oriundis morbis, nec morborum quantitates di-
uersae rite intelligi possint. E re nostra nunc
fore videtur, quaedam adhuc exponere, quae
partim huic propositioni magis illustrandae in-
seruire, partim etiam compluribus aliis §§.
Dissertationis nostrae clariorem lucem affundere
poterunt. Veniat in exemplum spasmus, quem
modo ex catarrho, modo ex humorum vel spissi-
tudine, vel corruptione, modo etiam ex aliis
corporis

corporis mutationibus, in casu tractato oboriri posse, asseruimus. Concpie tibi adeoque, spas-
mum a solo catarrho produci, absentibus illius caussis reliquis: tunc ex illius symptomatibus obseruatis intelliges, quod spasmus quidem ad-
sit, sed mitioris gradus. Sed finge tibi, cum catarrho simul iunctam esse humorum spissitudi-
nem, atque inde spasmum generari: morbum hunc & citius oriri, & grauius aegrum affligere obseruabis. Si tandem catarrho & spissitudini humorum, horum quoque corruptio simul socia fuerit, spasmusque inde excitetur: huius ortus & gradus tam celeritate, quam magnitudine mi-
rifice superabit spasmum, in exemplis praecedentibus productum. Atque eodem modo se res quoque habebit cum debilitate, cum hoc illoue morbo viscerum, & reliquis corporis afflictionibus, supra commemoratis. Praeter id vero ne-

cesse erit, ut accurate applicaturus hocce principium ad casus propositos, rationem simul habeat aetatis, morborum in aegris praeteritorum, nec non caussarum aliarum externarum, accedentium sub morbi praesentis duratione. *atque* Haec enim omnia maximam habent efficaciam ad morbos producendos, horumque magnitudines & species constituendas; quemadmodum id in Pathologia commonistratur, constanter in eamdem rem consentiente obseruatione fidissima. Exempli loco: Catarrho bene quidem discusso, qui quondam alicui a laesa transpiratione erat obortus, cum tussi, raucitate & dolorifica deglutitione: idem tamen malum, ab eadem caussa, denuo admissa, citius redibit, aegrum vehementius affliget, si nunc simul praecesserint pulmonum & tracheae frequentes exercitationes, quales cantu fieri solent. Huic conditioni si adhuc fese

fese adiungant vel aetas, prona ad congestiones
in locis superioribus efficiendas, vel mutationes
aliae in corpore simul existentes, quae easdem
congestiones producere valent: quanta tum fie-
ri d' bent augmenta illorum catarrhi effectum?
Nemo non videt, hasce positiones naturae con-
formes esse, & cum praesentis tractationis scopo
probe congruere. Anne vero applicationi huius
principii oberit recepta a Pathologis diuisio, in-
ter morbum idiopathicum & symptomaticum?
Poteruntne ideo morbi symptomatici, tamquam
ab alio morbo proficiscentes, cuius indolis per-
multi sunt, quorum possibilitatem e Religiosarum
Cisterciensium vitae genere supra deduximus, in
reciproca ratione caussae & effectus esse? Quam
rationem hic omnino locum habere, per princi-
pia pathologica satis constat, quibus conuenien-
ter symptoma dici poterit tam morbus, ab alio

E 3

mor-

morbo dependens, consequenter effectus morbi, quam etiam causa morbi, dum nouum morbum vel gignit, vel priorem auget. Quantae tunc & quotuplices hic contingere possunt morborum complicationes! ita, ut mili nunc differendi amplissimus campus pateret, nisi in eo acquiescendum esse putarem, quod iam praecipua momenta theoretica tractationis praesentis expedita sint. Hinc potius ad alteram argumenti disputandi partem nunc progredior.

PARS ARGUMENTI PRACTICA.

§. XXVII.

Sanitas illum statum corporis humani in se comprehendit, in quo singulae eius partes sibi a natura praescriptas functiones legitime ob-

eunt.

eunt. Exinde prono iam fluit alueo, quod, qui sanitatem tueri intendit, ille efficere debeat, ut modo descriptus status corporis humani diu perseveret.

§. XXVIII.

Ad sanitatis conseruationem omnium functionum corporis humani successus requiritur, isque legitimus & continuus (§. anteced.). Si igitur morbi ingruere videantur, vtpote a quibus necessario perturbari debet sanitas: tunc illam conseruaturo efficiendum quoque erit, ut eiusmodi causae tempestive remoueantur, & corpus a morbis, eidem imminentibus, praecaneatur.

§. XXIX.

Commodis vero remedii ibi opus erit, ubi corpus humanum a morbis defendendum esse

XXX.

esse iudicatur. Sed hoc officii genus praestandum ille sumit, qui circa tuendam sanitatem occupatus est (§. anteced.). *Sanitatis* igitur *conseruatio postulabit certorum quorumdam remediorum congruam applicationem*; siue illa fuerint diaetetica, siue pharmaceutica, siue chirurgica.

§. XXX.

Certum aliquod vitae genus, cui quis deditus est, saepius in se continet rationem morbi inde nascentis (§. I.). Huius itaque vitae generis mutatio se omnino ut remedium habebit ad sanitatem conseruandam. *Nocuum adeoque sanitati vitae genus vel prorsus abrogari debet, vt corpus a morbis defendatur; vel, si hoc fieri nequeat, alia remedia adhibenda erunt, quibus causarum morbi effectus mature subtrahantur, & sanitati periclitanti congrue succurratur.*

§. XXXI.

§. XXXI.

*Regulae, sanitatis tuendae cauffa, Religio-
sis Cisterciensibus commendandae, non debent con-
tradicere regulis S. Ordinis, quem profitentur.
Nam pro inuiolabili lege regulae S. Ordinis ha-
bendae sunt, quarum postpositione vitae genus
illum profitentium mutaretur. Si igitur ex hoc
vitae genere sanitati incommoda quaedam acci-
dant (accidere vero possunt quam plurima, ut in
parte prima Dissertationis nostrae exposuimus):
absurdum tunc foret, regulas sanitatis commen-
dare, quae huius vitae generis abrogationem
praecipiunt; siquidem hoc modo regulis S. Or-
dinis contradiceretur. Quare iam alia sanitatis
praecepta hic tradenda erunt, eaque cum regu-
lis S. Ordinis admodum consentientia.*

F

§. XXXII.

§. XXXII.

Congruum ergo cum fine Dissertationis praefentis erit, ut propositioni §. anteced. a me nunc etiam satisfiat. Hinc iam patebit regularum sanitatis, a me exponendarum, conditio.

Actutum id perficere conabor, harum regularum fundamento prius indicato; ut constet, quod in hoc negotio expediendo rite a me procedatur.

§. XXXIII.

Sanitati Religiosarum Cisterciensium tuerdae optime respondebit illorum remediorum usus continuus, quo laesae transpirationis effectibus occurritur; massa humorum tam a spissitudine, quam reliquis sui corruptionibus defenditur; tandemque viribus corporis consulitur. Hoc enim loco vitae genus in culpa est, cur transpiratio saepius impediatur, humores fiant spissi, prauamque indolem nanciscantur (§. III.). Verum

rum enim vero rite consideratis iis, quae dicta sunt in parte Dissertationis praesentis theoretica, satis clare intelliges, quot et quotuplices morbi in hisce Religiosis ex hac modo indicata scaturagine prouenire possint. Et quod ad virium debilitatem attinet: illa & eamdem originem agnoscit, & quando increuit, nisi ei succurratur, omnem operam in conseruanda restituendaque sanitate plerumque inanem reddit (per princip. therap.). Vides ideoque, quod regulae sanitatis tuendae in casu proposito praecipere debeant remedia supra descriptae efficacie.

Sequuntur iamiam hae regulae sanitatis, vna cum remediorum quorundam illis accommodatorum enarratione. Non a scopo praesente alienum erit, si quaedam hic deprehendantur sanitatis tuendae caussa proleta esse, quae alias ad morbos curandos adhiberi solent. Postulat enim saepenumero hunc consensum operaे medicae ipsa rerum peragendarum necessitas. Quo de argumento praecclare indicauit **G A L E N V S**, probata **HIPPOCRATIS** in eamdem rem sententia:

quaecunque, inquit, morbis praesentibus reete peraguntur,
aut incipientibus, aut imminentibus, praeuertenda. Libr.
de curand. rat. per sangu. miss. cap. 9.

§. XXXIV.

Quare iam methodus sanitatis tuendae,
adaptata casui, in Dissertatione praesente pertra-
stato, ita fese habebit.

I. *Effectibus suppressae transpirationis ita
obuiam eundum erit.* Eo tempore, quo corpus
aëri frigido exponendum est: tunc conueniet ad-
hibere vestimenta, recepti quidem coloris et for-
mae, parata tamen ex materia, qua frigori ma-
gis resistitur. Quod fieri licitum est, saluis re-
gulis S. Ordinis; prout id quoque annotauit HÉ-
LYOTVS l.c. Quodsi vero haec circumspectio non
sufficere videatur, alia tum remedia in subsidium
vocentur. Post redditum itaque e templo, no-
turnis praecipue horis & tempore hiemali, pro-
ficuum

ficum erit, statim adhibere usum potus calidi, parati ex infusione herbae theae vel plantae cuiusdam sudoriferae; se per aliquot horas in conclaui temperate calido conseruare, obambulare; vel etiam maioris salubritatis causa corpus somno committere. Obortis vero ab hac ipsa causa quibusdam incommodis sensibilibus (§§. V. & VI.), intendenda erit cura restituendae transpirationis. Quem in finem remediis modo indicatis subiungi debet selectum aliquod medicamentum bezoardicum; non neglecto usu vnius vel alterius remediis domestici, celerioris efficacie causa hic interponendi. Sic decoctum auenae excorticatae, per interualla calide bibendum, inferuiet tussi catarrhali mitigandae; ad eluendas fauces adhibitum proderit raucitati; salvia ex aqua decocta, deinceps cum aliqua vini quantitate permixta, tandemque instar gargarismatis, saepius repetita
appli-

applicatione, & sensum doloris sub deglutitione,
& branchum minuit ac praecauet; pediluuia tem-
perate calida capitis temulentiae & dolori, aliis-
que congestionum, versus pectus tendentium, ef-
fectibus opitulantur.

II. *Humorum spissitudo praecauenda & re-
soluenda erit.* Obtineri id poterit motu corpo-
ris & potu diluente, ad sufficientem quantitatem
in corpus quotidie delato. Quando vero huius
caussae tanta iam fuerit efficacia, vt morbi, inde
oriundi (§§. VII. & sequentes vsque ad §. XX.),
sensibus patere incipient: necesse tum erit, vt
priori remedio nouum accedat, quod maiore vir-
tute resoluendi pollet; ita tamen, vt hic p[re]a
reliquis virium corporis conseruandarum ratio si-
mul habeatur. Quo igitur nomine iure meri-
toque laudanda erunt medicamenta saponaceae
indolis, illis permista, quae viscerum, maxime
ven-

ventriculi & intestinorum, robori bene prospiciunt. Hoc enim modo concoctionis & chyli elaborationis negotio consulitur; viscerum oppilationes praecipue occupantur; mali hysterici ortus & incrementum impediuntur; excretiones naturales faciliores redduntur; nutritionis impedimenta remouentur; vires corporis confirmantur; tandemque, accedente remedii temperantis usu, spasmodorum & motuum febrilium vehementia compescitur. Quorum omnium usus circa periodum menstruam frequentior esto. Quo tempore admodum conueniet, aetate nimirum huic excretioni salutari nondum repugnante, pediluua tepida in usum vocare; a quibus vero tum temporis ibi abstinentiam erit, & transpirationis cura magis habenda, vbi iam aetas corporis consuetos huic excretioni terminos superauit, ut hac ratione molestissima illa & nunc plane irrita natu-

G

rae

rae conamina sensim sensimque consopiantur.
Neque sanguinis missiones hic omittantur, sed
potius in adsuetis circa aequinoctia repetantur;
siquidem id remedii genus, praeter transpiratio-
nis liberum succellum, maximam vim habet ad
stases inflammatorias abigendas, & congestiones
imminuendas.

III. Curandum porro erit, ne humores cor-
rumpantur; si vero iam depravati fuerint, tunc
eo allaborandum erit, vt iterum prauam suam
indolem amittant. Perficere id licebit, excre-
tionibus naturalibus in ordinem redactis, immo
etiam interdum auctis. Quare praeter remedia
transpirationi promouendae inferuentia, hic uti-
lissimum erit, aluum nonnumquam expurgare, id-
que medicina leni, vt sale quodam neutro, rha-
barbaro, pilulis balsamicis, & quae id genus alia
forent. Hisce remediis euacuantibus illorum

con-

continuus usus interponi debet, quo visceribus profici posse, ad momentum praecedens iam diximus. Inter haec omnia eo etiam studendum erit, ne tempore ieunii illorum ciborum esurialium fiat abusus, qui partim difficilioris sunt concoctionis, partim etiam maxime proclivitatis ad putrescendum: pertinent huc praecipue pisces marini. Ab hoc igitur ciborum genere vel prorsus abstinendum erit, substitutis aliis cibis esurialibus melioris notae; vel, si hoc interdum fieri nequeat, illorum tunc correctione congrua opus erit. Huic correctioni fauebunt aromatum, ace-
ti, vel vini, loco condimentorum, additiones; si imprimis vinum generosum superbibatur.

IV. *Inter hasie occupationes, sanitatis caussa susceptas, eo quoque respiciatur, ut vires corporis conseruentur, magisque augeantur.* Ad id efficiendum praestabit, corpus debile cibis nutrire, qui & facilis digestionis sunt, & in modica quantitate assumti, largius confiendo chylobonae indolis inseruiunt; a cibis abstinere, qui tam quantitate, quam qualitate ventriculum lae-

G 2 dunt;

dunt; vsum vini generosi modicum, sed quotidianum, sub pastu admittere; hoc medicamenti genere vti, quo ventriculo & visceribus prospicitur; subiuncta eidem, si e re aegrotantium fore videatur, medicina alia neruina selectiore.

Per se patet, quod sub applicatione huius methodi sanitatis alia rerum sex non-naturalium vitia, remediorum salubritati aduersa, simul curari debeant. Exemplo irae, vel trifitiae nimiae. Caeterum breuitatis causa intermissus remediorum, in §. commendatorum, rationes addere; q̄as vero partim ex prolatis in parte vtraque Dissertationis nostrae, partim etiam ex obuīs in Therapia principiis facile eruere licet.

§. XXXV.

Quodsi vero acciderit, vt Religiosa a morbo quodam corriperetur, cuius persanatio absolute poscit, vt illa ieuniorum & accessionis ad chorūm habeat immunitatē: tunc id fieri concedunt leges ecclesiasticae. Quo igitur in casu totus medendi apparatus adhiberi poterit, mutatis iam mutandis, quae in vitae genere curationi obesse videbantur. Atque *in hoc etiam negotio recte expediendo partes suas explere oportebit Medicum, cuius curae salus eiusmodi aegrotantium commissa est.*

T A N T V M.




Diss. med. Halle,
Med. Diss.,
6. 1758-68.



SB

Riles





DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

RELIGIOSARVM S. ORDINIS CISTERCIENSIS SANITATE TVENDA.

QVAM
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS SANCTIORIBVS
MED. ET PHIL. NATURAL. PROF. PVBL. ORDINAR. FACULTAT. MED. SENIORE ET H. T.
DECANO SPECTATISSIMO, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO, IMPERIAL. ACAD.
NATVR. CVRIOIS. PRAESIDE ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

AD DIEM XXII. DECEMBER. A. O. R. C¹⁵I CCLXII.

H. L. Q. S.

IN REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE PROPVGNAHBIT

AVCTOR

G E O R G I V S F R O S T
TREBNICIO - SILESIOS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

S T A N N O S C H N E I D E R I A N O.